

ex primo decreto constituitur quis dumtaxat custos honorum petitorum, non autem verus possessor, juxta allegatam parenthesin, « causa rei servandæ, » juncta Glossa ibid. *¶ Servandæ.*

45. *Solvuntur rationes in contrarium.* — Nec obstant rationes in contrarium n. 43 adductæ. Nam, ut notat Glossa in cit. *§ In aliis. ¶.* *Possessionem recuperet.* et Abbas ibid. n. 14, verba illa debent exponi, ut sensum faciant, « possessionem, hoc est, detentionem possessionis recuperet. » Nec immerito: siquidem hujusmodi detentio honorum petitorum quam actor missus acquisivit custodiæ causa, donec reus tædio affectus veniat in iudicium, etiam est quædam possessio facti, licet non juris; sicque potius imaginaria, non autem vera possessio. Vel dic, « recuperet, » hoc est, retineat veram possessionem, quam necdum amisit; prout in simili can. *Priusquam.* 27, q. 2, verbum *accipere,* sumitur pro *retinere.*

46. *Inter utramque sententiam nulla, aut parva in effectu est differentia, idque declaratur.* — Solum adde cum Abbate in sepe cit. *§ In aliis.* n. 14, vers. « Et secundum hunc, » quod in effectu nulla, aut parva sit differentia, utrum actor in actione reali missus in possessionem honorum petitorum ob contumaciam rei absentis dicatur ante annum possidere, vel non. Imprimis enim, sive cum nostra conclusione dicatur, quod ejusmodi actor intra annum sit detentor dumtaxat et custos illorum honorum; sive cum opposito opinione teneatur, quod si eorumdem verus possessor, etsi non incommutabiliter: utraque hæc sententia ultro fatetur quod reus intra annum veniens, post soluta actoris factas expensas et præstitam debitam cautionem de iudicio sisti, recuperet rem cum fructibus suis, deductis tamen expensis; et consequenter actor fructus interim collectos non faciat suos sed istos una cum bonis postmodum evictis teneatur reo restituere. Glossa, Speculator, ubi supra, et alii.

47. *Missus ex primo decreto, post annum lucratur fructus, etiam prioris anni.* — Quod si vero reus actione reali conventus et contumax, intra annum non venerit, aut saltem intra annum solutis expensis debitam cautionem præstare neglexerit; tunc rursus utraque allata extrema sententia fatetur quod actor tunc ipso jure fiat verus, et incommutabilis possessore adeo, ut fructus exinde faciat suos, imo etiam intra annum jam perceptos

non teneatur restituere. Siquidem post annum reus comparens amplius non auditur, « nisi super proprietate dumtaxat, » ut loquitur Pontifex in cit. c. *Quoniam.* *§ In aliis.* « Ut lite non contestata, » etc. et consequenter nec amplius auditur super fructibus prioris anni, prout notat Abbas ibid. n. 17. Hoc ipsum verbis clarioribus tradit card. Tuschus litt. M. concl. 284, n. 7, post Zabarellam, consil. 78, circa fin. docens, quod missus in possessionem, post annum, nedum lucratur fructus perceptos post annum etiam perceptos intra annum, quos tunc non fecerat suos: nisi forsitan alicubi sit consuetudo in contrarium. Ita ille.

48. *In quo consistat tædium, quo afficitur reus ob missionem ex primo decreto?* — Petes autem occasione præmissorum, in quo consistat tædium illud, ob quod actor ex primo decreto mittitur in possessionem rerum petitarum, ut « reus tædio affectus veniat responsurus, » juxta textum in cit. c. *Quoniam.* *§ In aliis.* « Ut lite non contestata, » etc. Resp. Glossa ibid. *¶.* *Affectus.* cum Abbate n. 14, et aliis, tædium illud præcipue consistere in hoc; quia actor in actione reali ex primo decreto in possessionem rei petita missus, vel obtinet hujus veram possessionem, licet non incommutabiliter (juxta aliorum sententiam n. 43, relatam) vel saltem ejus detentionem et custodiam juxta conclusionem num. 44, datam: siveque reus contumax expelletur ex ejus possessione, vel saltem detentione et custodia. Atqui istud merito solet magno tædio afficere, reum expulsus; præsertim cum sciat elapso uno anno, nisi venerit, actorem statim, ac ipso jure, acquisiturum esse possessionem honorum petitorum. Accedunt alii effectus primi decreti, de quibus jam supra.

49. *In quo consistat tædium, quo afficitur reus ob missionem ex primo decreto?* — Perro in actionibus personalibus, ubi actor ex primo decreto solum acquirit custodiam et defensionem, non autem possessionem aut detentionem honorum illorum, in quæ missus est, ex eo saltem reus contumax tædio afficitur, quia tenetur sustinere actorem, libere secum admittendum in agrum, ut custodiat fructus ejus, nec ab ipso consumantur; aut ingredientem domum suam pro ejus custodia vel rerum ibidem existentium, in quarum possessionem missus est. Glossa, et Abbas, ubi supra.

50. *Effectus missionis et secundo decreto prin-*

cipalis est, quod quis constituatur verus et incommutabilis possessor. Quibus verbis interponi solet? — Quæritur IV. Qui sint effectus missionis ex secundo decreto? Resp. Præcipuus ac principalis effectus missionis ex secundo decreto, et a quo cæteri promanant, est quod pen illam quis constituatur verus et incommutabilis possessor honorum illorum, in quæ ob contumaciam rei auctoritate judicis: ita missus fuit. Patet hoc ex cap. 1, h. t. ubi formula talis missionis continetur, simulque conclusio aperte traditur, illis verbis: « Ideoque decernimus ut amodo possessionem dictæ Ecclesiæ (salvo jure quod idem præpositus in petenda Ecclesia habere dignoscitur) absque contradictione aliqua habeatis. » Ubi ideo Abbas n. 9, et Innocentius ibid. inquirunt, secundum decretum interponi similibus verbis: « Decerno, jubeo, et constituo te esse verum possessorem talis rei. » Similem formam secundi decreti, refert Speculator, tit. *De secundo decreto.* *§ Nunc dicamus.* n. 43.

51. *Missus ex secundo decreto in bona contumacis, lucratur fructus ejus.* — Inferitur proinde quod missus ex secundo decreto in possessionem honorum contumacis, fructus inde collectos lucratur, eosque faciat suos. Speculator et Abbas, ubi supra, et alii. Nam generale est, quod bonæ fidei possessor lucratur fructus ex re possessa perceptos, neque eos jam consumptos cogatur domino postea comparanti restituere, *§ Si quis a non domino.* Instit. *de Rerum divis.* cum similibus. « Atqui juste possidet qui auctore prætere possidet, » ut dicitur, l. *Iuste.* ff. *de Acquirend. possess.*

52. *Et onus probandi proprietatem eorum incumbit reo postmodum revertenti. In actionibus realibus hoc usum accidit post lapsum unius anni.* — Inferitur ulterius, quod, licet reus postmodum reversus audiatur super causa proprietatis illorum honorum, in quorum possessionem actor ex secundo decreto missus fuit: tamen onus probandi dictam proprietatem incumbat reo reverso, utpotenunc petitori. Siquidem ejus adversarius per missionem ex secundo decreto, jam acquisivit veram et incommutabilem eorumdem possessionem, cap. 1, h. t. At hoc ipsum, loquendo de actionibus realibus, contingit post lapsum unius anni: quia tunc actor statim, et absque alio secundo decreto acquirit veram possessionem honorum, in quæ missus est, juxta dicta n. 22, ac prom ex tunc lucratur fructus illius. Rihing. h. t. n. 3, non vero antea,

demptis casibus supra n. 37 et 38 expressis.

53. *Alii effectus ipsius. Remissive.* — Tacentur alia veræ possessionis commoda, quæ pariter misso ex secundo decreto competunt sicque inter effectus ipsius connumerari merentur. Nam de istis copiose superius tit. XII *De Causa possessionis et proprietatis.* § 2, et seqq. jam actum fuit.

TITULUS XVI.

Ut Lite pendente nihil innovetur.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Ne ex dictis titulo præcedenti perperam quis inferre possit, generaliter licitum esse, quidpiam lite pendente innovare circa statum causæ pendens, eo quod ob contumaciam rei absentis actor mitti possit in possessionem honorum petitorum: manet præsens rubrica subjungitur, tradendo regulam, et quidem negative conceptam, « Ut lite pendente nihil innovetur: » tale videlicet, quo status causæ pendens immutatur in præjudicium partis adversæ. Quod ut melius intelligatur, sit.

§ I.

DE REQUISITIS AD LITIS PENDENTIAM, HUIUSQUE EFFECTIBUS.

2. *Lis pendere, quando censeatur?* — Quæritur I. Quando lis pendere censeatur? Resp. I. *Lis,* quantum ad propositum, *pendere* dicitur, quando citatio a iudice facta pervenit ad citatum, vel per ipsam stetit, quominus perveniret; dummodo in citatione fuerint ea expressa, per quæ citatus plene potuit instrui super quo conveniatur. Ita Glossa in c. *Ut debitus.* 59. *¶. Si dicat. de Appellat.*; Menochius, *de Arbitrar. judic.* casu 202, n. 7; Sigism. Scaccia lib. I, *de Judicis.* cap. LXIV, n. 1dt; Rihing. h. t. n. 1 et 2, ac alii. Et habetur decisum in Clem. 2. h. t. ibi: « Cum lite pendente nihil debeat innovari, litem quoad hoc pendere censemus, postquam a iudice competenti in ea citatio emanavit, et ad partem citatam pervenit, vel per eam factum fuit, quominus ad ejus notitiam perveniret. Dum tamen in citatione prædicta talia sint expressa, per quæ plene possit instrui, super quibus in iudicio convenitur. » Hæc ibi.

3. *Differentia quoad hoc ex parte actoris, et rei.* — Notat tamen Felinus in c. *Super litteris*, n. 13, de *Rescript.* Sigism. Scaccia, l. I, de *Judiciis*, cap. LXIV, n. 11, et Menochius cit. cas. 202, n. 8, post Rotam decis. 17, n. 4, de *Dolo et contumac. in novis.* et decis. 6. « Ut lite pendente, etc. in novis. » quod cit. Clem. 2. h. t. dum vult litem pendente non induci nisi executam citationem, ut supra, procedat solum respectu rei, non autem respectu actoris. Disparitas est: quia actor post impetratum a se, et a iudice emanatum decretum citationis, hoc ipso novit litem pendente, quam sollicitavit, et procuravit; unde nec indiget alia citatione, vel dictæ citationis executione: talis autem requiritur ex parte Rei, utpote cæteroquin ignorantis citationem illam emanasse.

II. Unde loquendo præcipue de litem pendente ex parte rei.

4. *Ad litem pendente plura requiruntur.*
I. *Quod citatio emanaverit.* II. *Et sit facta a iudice competente: haud obstante, quod hujus jurisdictionis possit per exceptionem elidi.* — Notandum est, quod ex verbis cit. Clem. 2. h. t. Glossa, et Imola ibid. § 2, aliique, plures eliciant conditiones, quæ requiruntur ad hoc, ut inducatur litem pendente; et, si quid innovetur, vitium litigiosi. — I. Quod citatio emanarit. — II. Quod sit facta a iudice competente: hoc est, illo qui causæ jurisdictionem habet cum exercitio. Nec obstat, quod talis jurisdictionis possit per exceptionem elidi. Quia enim certum est, quod in hujusmodi casibus valeat processus in principali, quando non excipitur, c. *Inter monasterium*, 20, de *Sent. et re judicat.* cum similibus: hinc merito iudex ante exceptionem censetur competens, ac proinde valet ejusmodi citatio, quantum ad inducendam litem pendente. Glossa in cit. Clem. 2. § *Competenti.* et Abbas ibid. n. 4. h. t. et Imola, ubi supra, post Lapum istud intelligens de exceptione dubia: secus, si sit notoria, et talis, ut jurisdictionis sit ipso jure nulla, arg. *Quoniam. de Filiis presbyt.* et Clem. *Pastoralis*, juncta Glossa § *Notorio.* de *Sent. et re judicat.*

5. *III. Ac pervenerit citatio ad reum citatum.* — III. Ad litem pendente requiritur, quod citatio pervenerit ad reum citatum, aut per hunc steterit, quominus perveniret. Nam is, qui dolose facit seu procurat, ne citatio ad ipsum perveniat, habetur pro citato, arg. c. *Quoniam.* § *Porro.* §. « Ut lite non contestata, » etc. et l. *Si ideo.* ff. de *Eviction.* Idque merito:

tum, ne alioquin ex malitia, sive dolo suo, quis commodum reportet, contra illud: « Fraus, et dolus, alicui patrocinari non debent, » uti habetur c. *Sedes* 15. et c. *Ex tenore.* 16. de *Rescriptis.* tum, ne contumax melioris, quam obediens conditionis existat; contra id, quod legitur in c. *Contingit de Dolo et contumac.*

6. *Disparitas inter perpetuationem, jurisdictionem, et inter inducendam litem pendente.* — Dices. Ad perpetuandam jurisdictionem sufficit citationem emanasse, licet nondum pervenerit ad citatum, ut c. *Licet.* 30. et c. *Gratum.* 20. de *Offic. delegat.* et cap. ult. de *Offic. legat.* ergo idem dicendum de inducenda litem pendente. Resp. neg. consequentiam, et paritatem. Siquidem perpetuationis jurisdictionis est favorabilis; ac proinde facilius perpetuatur jurisdictionis, quam inducatur litem pendente, quæ est odiosa. Unde non mirum, quod ad illam perpetuandam sufficiat, citationem emanasse: ad hanc vero inducendam ulterius requiratur, quod citatio pervenerit ad citatum, sique iste innovando quidpiam incurrat vitium litigiosi. Imola in cit. Clem. 2. § Glossa, et ad partem. h. t.

7. *IV. Ad litem pendente requiritur, quod citatus plene instruat, super qua causa convenitur.* — IV. Ad litem pendente requiritur, quod ex tenore factæ citationis citatur plene instruat, super qua causa in iudicio convenitur. Unde si iudex dicat, « Compareas tali die Titio responsurus super quadam domo, » hoc non erit sufficiens expressio; cum citatus non sufficienter instruat per talem citationem, eo quod per hanc cognoscere nequeat, super qua domo conveniatur, vel quare: ac proinde necdum censetur litem pendente super domo, nec domus illa esse litigiosa. Glossa fin. et Imola, et Abbas n. 7. in cit. Clem. 2. h. t. qui idcirco pro bono actoris consulunt, ut ad inducendam litem pendente una cum citatione transmittatur reo copia libelli; ut cap. II. de *Dilationib.*

8. *V. Et quod nuntius citationem sufficienter insinuaverit.* — V. Ad inducendam litem pendente ulterius requiritur, quod nuntius citationem hujusmodi rite insinuaverit: alioquin non inducitur litem pendente. Proinde ad hanc inducendam non sufficit, quod iudex nuntio citationem sufficienter expresserit, si nuntius eam sufficienter non retulit: nam requiritur, quod ipse citatio plene devenerit ad notitiam citati, cit. Clem. 2. h. t. ac notat Imola ibid. § fin. Et hinc ad obviandum im-

perfectæ nuntiorum relationi erit de cautela, ut una cum citatione transmittatur reo copia libelli, juxta proxime dicta.

9. *Item, quod citatio sit apta.* — Addit Pirhing h. t. num. 3. sextam conditionem, quod nimirum citatio sit apta. Verum hæc conditio ad primam reducitur: nam citatio inepta, aut tempore indebito facta, sicut de jure nulla est, nullumque inducit effectum, ita merito pro non citatione habetur, arg. l. *Quoties.* ff. *Qui satisfacere cogantur.*

10. *Effectus litem pendente sunt plures.*
I. *Litem pendente non debet possessor privari commodo sue possessionis.* — Quæritur II. Qui sint effectus litem pendente? Resp. Esse plures, præcipue vero sequentes. Primo enim litem pendente reus, sive possessor, commodo suæ possessionis privari non debet; ac proinde durante lite æque, sicut prius fructus ex re possessa colligere potest. Patet hoc ex cap. I. h. t. ac notat Abbas ibid. in Summario, cum communi. Accedit ratio: quia ideo litem pendente nihil est innovandum, sed omnia sunt relinquenda in eo statu, in quo erant tempore motæ litem, ne quis conqueratur se injuste privatum fuisse suo jure, atque in præjudicium suum quidpiam esse attentatum circa rem controversam; juxta cit. cap. I. h. t. ibi; « Nullum tibi præjudicium faciant. » Atqui magnum foret præjudicium, si quis privaretur commodo suæ possessionis, aut hujus usus et exercitium ipsi interdiceretur; ergo.

11. *Etiam intelligendo istud in causis matrimonialibus.* — Et hoc adeo verum est, videlicet quod possessio rei controversæ maneat penes possessorem, donec lis decisa fuerit, ut istud etiam procedat in causa matrimoniali. Patet hoc ex cap. II. h. t. ubi accusatus de adulterio in ordine ad separationem thori, non debet litem pendente privari possessione conjugali, sive possessione juris, quod habet in corpus conjugis. Idemque dicendum, quando accusatur matrimonium ob impedimentum dirimens, v. g. ob consanguinitatem, vel aliud impedimentum perpetuum: nam pari ratione non est ejusmodi matrimonium litem pendente separandum, nec ejus usus stante dubio de veritate impedimenti dirimentis conjugibus interdicendus ante finem causæ, seu donec constet per legitimas probationes de impedimento dirimente. Glossa in d. cap. II. in casu, et Abbas ibid. n. 2. Pirhing h. t. n. 10. et alii. Accedit ratio: quia stante dubio illo adest præsumptio pro possessore, quod juste possideat.

12. *Et qualiter?* — Intellige tamen istud potissimum in ordine ad iudicem, utpote qui juxta dispositionem cit. cap. II. non debet privare, litem pendente, alterum conjugem commodo possessionis juris conjugalis: stat enim præsumptio pro possessore, quod juste possideat, donec probatum fuerit impedimentum dirimens. Cæterum loquendo in ordine ad partes, sive ipsosmet conjuges, ille qui certo scit adesse impedimentum (secus, si de hoc solum dubitet) neque potest petere debitum conjugale, neque reddere, ne peccatum incurrat; quin potius, si ad hoc per iudicem compellatur, humiliter sustinere debet excommunicationem, c. *Litteras.* § *Porro.* de *Restitut. spoliat.*

13. *Et qualiter?* — Insuper illud est intelligendum, dummodo matrimonium antea fuerit consummatum. Quia enim ante ejus consummationem non est quis in possessione commercii conjugalis; ergo nec litem pendente poterit hoc uti: nam litem pendente debent omnia in suo statu relinquere, sicut fuerunt ante motam litem. Sanchez lib. II. de *Matrimon.* disp. 41. num. 50. Engel. h. t. n. 2.

14. *II. Rescriptum litem pendente impetratum, censetur subreptitium, non facta mentione de ea.* — Secundus effectus litem pendente est, quod rescriptum, aut privilegium, litem pendente in præjudicium partis adversæ impetratum, nisi de litem pendente mentionem faciat, censetur esse subreptitium. Desumitur hoc ex cap. I. ac ult. h. t. et c. *Causam quæ vertitur.* 19. de *Testib.* ubi Glossa § *Noviter.* et Abbas num. 3. citans Hostiensem; Menochius, lib. II. de *Arbitrar. judic.* cas. 202. num. 4; Sigism. Scaccia, lib. I. de *Judic.* cap. LXIV. nu. 11. qui citant alios, atque, istud intelligunt de litem pendente per solam citationem, conformiter dictis supra n. 2. et 3. Concordat textus in l. *Tutor petitus.* § 1. ff. de *Excusat. tutor.* Accedit ratio, quia in dubio, et nisi aliud exprimat, princeps non censetur velle juri alterius præjudicare, vel statum litem immutare: ac proinde, si tales litteræ exhibeantur, præsumuntur esse falsæ, et subreptitiae obtentæ, arg. c. *Cum adeo.* 17. et c. *Super litteris.* 20. de *Rescript.* et sic erit expectanda secunda jussio principis. Abbas in cap. I. n. 6. h. t.

15. *Rescriptum post causam delegatis commissam impetratum, potest nullitatis argui tum ex vitio subreptionis, tum ex vitio attentati post litem pendente.* — Hic tamen breviter nota, quod rescriptum post causam iudicibus dele-

gatis jam commissam impetratum, duplici ratione possit nullitatis argui. Primo ex vitio subreptionis: ut quia fuit impetratum tacita veritate de facta jam commissione; prout liquet ex d. c. *Causam quæ vertitur*. 19. juncta Glossa *Noviter. de Testib.* Secundo, ex vitio attentati ob litem pendente, juxta proximè dicta: et in hac posteriori casu requiritur citatio, una cum sufficienti instructione rei, non in priori. Nam ad vitium subreptionis incurrendum sufficit sola taciturnitas commissionis causæ judicibus delegatis factæ, ac in supplicatione non expresse post ejus notificationem. Imola in Clem. 2. § Glossæ. citatio. h. t. Abbas in c. *Causam quæ*. 19. num. 5. *de Testib.* et alii.

16. III. *Alienatio rerum litigiosarum est prohibita.* — Tertius litem pendente effectus est, quod rerum litigiosarum, actionumque alienatio, lite pendente sit prohibita: et si attentetur, vel ipso jure sit irrita et nulla, vel saltem per judicem irritanda. Quod ut melius intelligatur.

17. *Et cur?* — Quæritur III. An, et qualiter rerum litigiosarum alienatio lite pendente sit prohibita? Resp. I. Certum est, quod rerum litigiosarum alienatio lite pendente fieri non possit, sed sit prohibita: exceptis certis casibus in jure specialiter expressis. Patet hoc ex can. ult. caus. 11. q. 1. et cap. III. et IV. h. t. et l. II. et ult. c. *de Litigiosis*: in quo posteriori loco certæ pœnæ in alienantes rem litigiosam statuuntur, de quibus infra num. 47. et seqq. agetur. Ratio hujus prohibitionis est: ne alioquin per alienationem rei litigiosæ durior fiat conditio adversarii, contra illud jure naturali notum: « Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, » ac refertur l. *Non debet*. 75. ff. *de Reg. jur.*

18. *Exceptis tamen certis casibus; et quibus?* — Additur tamen in conclusione, « exceptis certis casibus in jure specialiter expressis. » Nam hinc excipiuntur nonnulli casus in quibus ob speciales rationes fieri potest alienatio rei litigiosæ, quæ referuntur in cit. l. ult. c. *de Litigiosis*. Nimirum, si ea fiat « dotis nomine, vel ante nuptias donationis: » tunc enim excusat causa necessitatis, dum forte non suppetit alia res, quæ in dotem detur: simulque, quia tunc cessat præsumptio cupiditatis divexandi adversarium. Item, si alienatio rei litigiosæ fiat nomine *transactionis*, dum quis transigit cum adversario de re quæ iam inter eos controversa; ut explicat Glossa ibid.

Transactionis: quia tunc excusat bonum pacis. Item, quando alienatio rei litigiosæ fit nomine « divisionis rerum hæreditariarum, vel per legatum, vel per fideicommissi causam; » prout loquitur textus in cit. l. ult. c. *de Litigiosis*. Quanquam ipse de facto sit intelligendus juxta Auth. *De Litigiosis*. collat. 8. ut notat Abbas in cap. III. n. 7. et 8. h. t. atque amplius declarant Interpretes juris civilis.

19. *Exceptis tamen certis casibus; et quibus?* — Alium adhuc casum addit Glossa in cit. cap. III. *de Litigiosis*. h. t. Siquidem in judiciis universalibus, ubi agitur de hæreditate, prætor permittit quandoque fieri alienationem, videlicet pro expensis funeris, pro solutione debitorum, et pro cibariis familie: talem enim alienationem, seu hæreditatis litigiosæ diminutionem tunc fieri, urget plerumque ipsa necessitas, l. *Divus Pius*. § 1. ff. *de Petition. hæredit.*

20. *Estque vel suo jure irrita.* — Resp. II. Quando extra casus permisos, ac proximè enumeratos, res litigiosa alienatur, tunc ejusmodi alienatio lite adhuc pendente facta, vel est ipso jure irrita et invalida, vel saltem per judicem irritanda. Ita in re communis. Et quidem, quod dicta alienatio sit ipso jure irrita, videtur tradi in can. ult. caus. 11. q. 1. juncta Glossa ibid. *Quia res*. et in l. II. *de Litigiosis*. ibi: « Tanquam si nihil actum sit: » ac tenet Abbas in cap. III. n. 10. et 14. h. t. Bartolus in l. I. § *Quæro quid habeat*. ff. *de Litigiosis*. Engel h. t. n. 4. et plures alii. Adeo, ut nec firmitatem habeat, arg. c. *In nomine Domini*. 2. *de Testib.* Nec valeat, quod sequitur ex ea, vel ob ipsam, l. *Non dubium*. c. *de Legib.* et cap. ult. *de Rerum permutat.* cum similibus, et docet Hostiensis in Summa h. t. num. 3. vers. « Quidquid igitur. »

21. *Estque vel ipso jure irritanda.* — Quod autem ejusmodi alienatio rei litigiosæ primum sit irritanda per judicem, videtur docere Zoesius h. t. n. 3. dum inquit, quod si attentatum quid fuerit lite pendente, sive alienando, sive quocumque alio modo, illud sit revocandum. Et huic sententiæ etiam favet Pirhing h. t. n. 43. dum sub disjunctione ait, quod alienatio tunc facta vel sit ipso jure nulla, vel saltem irritanda. Accedit ratio, quia, si pars altera, in ejus præjudicium facta est alienatio rei litigiosæ, nihil contra eam opponat, censetur eam approbare, ratamque habere; prout in aliis similibus dici solet.

22. *Quæ differentia inter contractus ipso jure irritos, et irritandos?* — Fatendum est,

quod sit aliqua differentia inter præmissos modos loquendi. Nam si alienatio lite pendente facta, est ipso jure irrita, tunc hoc ipso, quod deceptus aut læsus, declarat se nolle eam valere, in judicio ac extra alienatio illa est nulla, et irrita ipso jure: sicque opus non est actione ad eam rescindendam, cum ab ipsa lege rescindatur; cit. l. *Quæ sub conditione*. § fin. ff. *de Conditionib.* institut. Secus est, ubi solum datur actio ad rescindendam factam lite pendente alienationem. Bartolus in l. *Et eleganter*. § *Dicendum est ergo*. ff. *de Dolo malo*, ita discurrens de contractibus contra juris prohibitionem celebratis.

§ II.

DE RE LITIGIOSA, ET REVOCATIONE ATTENTATORUM LITE PENDENTE, PŒNISQUE CONTRACTUS LITIGIOSI.

23. *Res litigiosa, quæ?* — Quæritur I. Quid sit, et qualiter res, vel actio, efficiatur litigiosa? Resp. I. « Res litigiosa dicitur ea, de cujus dominio causa inter petitem et possidentem movetur, aut per judicariam conventionem, aut per preces principi oblatas, et insinuatæ judici, ac per eum adversario interpellatoris cognitæ. » Ita habetur in Auth. *de Litigiosis*. § I, collat. 8, ubi ex professo agitur de rebus corporalibus, tum mobilibus, tum immobilibus: quanquam Glossa in can. ult. caus. 11, q. 1, majoris claritatis gratia, sic legat: « De cujus dominio, vel quasi dominio causa movetur. » Concordat textus in Clem. 2, h. t. ut supra n. 2, jam relatus.

24. *Ad hanc requiritur, ut moveatur questio super ejus dominio, vel quasi dominio.* — Dicitur, « de cujus dominio: » quod intellige sub addita clausula, « vel quasi dominio. » Quia, ut res efficiatur litigiosa, et alienari sit prohibita, sufficit, quod questio judiciaria moveatur, vel super ejus proprietate ac dominio, vel quasi dominio. Glossa in Auth. *Litigiosa*. *de Litigiosis*. Abbas in cap. III, n. 7, h. t. et alii.

25. *Et non tantum de aliquo onere illius.* — Secus dicendum, si tantum agatur de aliquo onere rei illius: ut puta, quia agitur hypothecaria, dum actor dicit rem sibi jure hypothecario obligatam esse. Tunc enim res ipsa non efficiatur litigiosa; ac proinde potest vendi, cum onere tamen suo. Textus est in Auth. *de Litigiosis*. § *Ab hoc autem*. collat. 8. Abbas cit. n. 7.

26. *Nec solummodo super ejus possessione.* — Insuper, si agatur solummodo de possessione rei, pariter res ipsa per hoc non efficiatur litigiosa. Glossa in c. *Si quis*. *de Litigiosis*. et Abbas ibid. n. 5, et Fagnanus n. 9, *de Confirmat. utili*, etc. Nam quia proprietas nihil habet commune cum possessione, l. *Naturaliter*. § 2, ff. *de Acquirend. possess.* merito mota dumtaxat controversia super possessione, non efficiatur ipsa proprietas litigiosa, et ideo poterit tunc alienari proprietas rei sine vitio litigiosi; prout inferit Abbas in cit. c. *Si quis* n. 5. *de Confirmat. util.*

27. *Quamvis tunc ipsa possessio fiat litigiosa.* — Fatendum tamen, quod tunc ipsamet possessio, super qua movetur controversia, efficiatur litigiosa. Abbas loc. cit. Fagnanus, ubi supra. n. 10. allegans Cravettam consil. 279, n. 3, et Lancellotum *de Attentatis*, part. II, cap. IV, in præfat. n. 493, ubi refert, ita fuisse resolutum in Rota. Nam ubi principaliter agitur supra possessione, ea habet se ad instar proprietatis, ut innuit Glossa in Auth. *Litigiosa*. *de Litigiosis*. Tunc enim possessio est res illa, de qua controvertitur, ad quem ex litigantibus pertineat.

28. *Res efficitur litigiosa non solum per litem contestationem, sed jam antea.* — Resp. II. Res efficitur litigiosa non solum per litem contestationem, sed etiam per libelli oblationem, postquam tamen secuta est citatio rei, simulque huic insinuatio contentorum, in libello per judicem sufficienter facta fuit. Ita Glossa in cit. Auth. *de Litigiosis*. *de Litigiosis*. *de Litigiosis*. collat. 8. ac probat textus ibidem, juncta Clem. 2. h. t. et conditionibus ad inducendam litem pendente requisitis, de quibus jam dictum supra n. 2 et 7, ac seqq.

29. *Et quantum ad hoc, correctum est jus antiquum.* — Nec obstat, quod l. 1, § 2, ff. *de Litigiosis*. requiratur litem contestatio ad hoc, ut res fiat litigiosa. Resp. enim, hoc fuisse de jure antiquo: secus esse, hodie post dictam Auth. *de Litigiosis*. collat. 8, siquidem per hanc corrigitur jus antiquum quoad propositum. Glossa loc. cit. *de Litigiosis*. et Glossa cap. I. *de Litigiosis*, h. t. in 6. plura pro et contra allegans. Bartolus in l. *Lite*. n. 1, c. *de Litigiosis*. et Abbas in cap. III. n. 7, h. t.

30. *Non tamen simplex interdictio, ne vendatur, facit rem litigiosam.* — Cæterum simplex interdictio, sive sola denuntiatio adversarii, ne res vendatur, non facit rem litigiosam.